

solemnitatem quae talis sit ex omni parte et eam solemnitatem seu praerogativas s. Francisco uti Patrono universalis dioecesis attributas et locorum Patronis praecipuis convenientes, ita ut eas cum s. Francisco communes non habeat et fortasse huc fuit apposita clausula, quia Titularem Ecclesiae cum Patrono loci confundendo, ut apparet, s. Andreae praerogativas hucusque tribuerant, quae solis locorum Patronis praecipuis conveniunt. Caeterum exclusis quae praecipue universalis totius dioecesis Patroni sunt propria, nec ritus dupl. 1. cl. neque Octava s. Andreae adhuc, ut ostensum est, Ecclesiae titulari potest denegari: nisi dicere quis vellet s. Franciscum quia Patronus est dioecesis, necessario esse Ecclesiae Titularem aut abrogatum esse s. Andream aut abrogatum censi debere veterem Ecclesiae Titularem per concessionem Patroni universalis totius dioecesis, quae quidem admitti nequeunt ex Doctorum allatis sententiis, Liturgicorum auctoritatibus, rubricae dispositionibus, quaeque et praxi et facto ipsi adversantur. Nihil itaque est, per quod s. Andreas uti Titularis Ecclesiae possit excludi, sed nihil aliud ipsi debetur nisi quod stricte Titularibus convenit, in quo hucusque Clerus limites est praeteregressus.

Quod spectat ad s. Cechardum, eadem ferme dici possunt, cum enim ipse vere Civitatis Carrariensis Patronus sit particularis, cum per concessionem principalis Patroni dioecesis non sit abrogatus, nulla est ratio per quam debeat expungi; et hinc pariter ei sunt tribuenda quae civitatis Patroni principalibus conveniunt.

Amoto tali modo per auctorum doctrinam, per liturgicas regulas, per concessionis et decreti investigationem rectamque utriusque interpretationem

omnia equivocacione, omni, quae hucusque facta est, Patronum inter et Titularem confusionem sublata, unicuique quod convenit tribuendo, liquet quam prudenter sapienterque S. C. propositis dubiis responderit atque decreverit. Mirabitur fortasse aliquis haec disserendo statutos brevitatis limites qui adnotationibus praescribi solent haud esse servatos, sed cum de materia ageretur, quae non raro usui esse potest, ideo rem latius exponere non supravacaneum visum fuit.

Parochus duarum Ecclesiarum unitarum debet de ambarum Titulari recitare officium, maxime si Ecclesiae sunt peraeque unitae. S. C. C. 5. Julii 1698.

Ad dub. I.: Utrum s. Gervasius sit solus Titularis alicujus Ecclesiae vel s. Protasius sit cum ipso contitularis per modum unius: similiter utrum si s. Dionysius sit solus Titularis vel ejus socii sunt cum ipso contitulares, ferine debet officium de uno martyre quasi unus tantum esset Titularis ad normam rubricae post tabellam occurrence et decretorum die 22. Novembris 1663 in Baren. ad I. et II., vel de pluribus martyribus, quasi essent simul Titulares?

II.: Posito quod officium fieri debeat de uno martyre in praedicto casu, quaeritur quomodo ordinanda erit Missa de s. Gervasio. Omnia quae sunt de communi plurimorum martyrum debentne mutari in alia desumenda e communi unius martyris? Si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de communi unius martyris recurrendum sit? Omnia, quae sunt propria, licet in numero plurali, ut Introitus, Epistola, V. : „Haec est vera fraternitas“, Offertorium et Communio debentne servari pro s. Gervasio, quum non-

nunquam in Missis pro uno Sancto inveniantur verba in plurali numero?

III. Similiter ubi s. Vitus est solus Titularis ac proinde a sociis separandus, 1. Epistola et Offertorium quae sunt de communi plurium martyrum debentne mutari in alia ex communi unius martyris? 2. Et si haec mutatio fieri debeat, ad quamnam Missam de communi unius martyris recurrendum sit? 3. Omnia, quae sunt propria, debentne retineri pro s. Vito, etiamsi sint in plurali numero, mutando tamen numerum in Orationibus?

S. C. resp. ad I.: Deficientibus monumentis rem declarantibus in casu affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad II.: Missam in casu legendam in missali die 19. Junii cum Orationibus et Graduali ut in Missa: *Laetabitur etc.* de communi.

Ad III.: In Missa: *Laetabitur* de communi; evangel. de festo.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2191.)

p) Suppressae Ecclesiae.

An Officium sit celebrandum? Vd.: *Caend. Dioec.* (Oblig. decr. n. 5180); *Titularis Eccles. paroch. dirutae.*

qu) Suppressio.

Ad dub.: An Episcopus successor rite lustrans pro munere suo pastoralis Ecclesiam a Praedecessore suo ante annos multos dedicatam, licite possit jure ordinario prohibere, ne eadem Ecclesia in posterum duplici appellatur titulo in solemnibus dedicatione usurpato, tum quia novit Curiam episcopalem ipsosque Oppidanos loci quinquaginta ferme annorum spatio unico titulo usos fuisse in Ecclesia appellanda, altero relicto, tum quia certo scit ex duplici hoc titulo post annos sane multos adhiberi coepto jurgia, discordias, simulationes secuturas esse

cum Oppidanis alterius Paroeciae ejusdem oppidi, quae eadem gaudet appellatione?

S. C. resp.: „Negative.“

Die 5. Sept. 1834. N. 4735.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRET.

Dari quidem possunt plures Titulares unius Ecclesiae, licet ut plurimum unus esse soleat sub cujus nomine primitus aedificatur et dedicatur Ecclesia. Hi autem si plures sint, vel sunt simul, nempe sub eorum simul nomine dedicatur Ecclesia, vel successive dati. Communis tamen usus est omnium fere Ecclesiarum ut unicum habeant Titularem, et si plures sint, non nisi sub unius ratione agnoscantur, exceptis quibusdam iisque raris exemplis, quae semper eas respiciunt Ecclesias, quae pluribus simul Sanctis fuerunt initio ab ipsa consecratione peculiari modo dicatae: cum vero Ecclesiae dedicatio non nisi vel in unius Sancti honorem vel plurium sub ratione unius fieri consueverit, unaquaeque Ecclesia suam propriam appellationem ab ipsa sui dedicatione desumit. Plures, dictum est supra, dari posse Titulares successive ita ut Ecclesiae uni Sancto dicatae et ab illius nomine appellatae alter Titularis addatur, a quo ipsa aliud nomen sive relicto sive etiam retento priore, accipiat. Id tamen non ita frequenter, immo rarissime occurrit, et ob hanc causam solet evenire, quod nempe antiquiores illae primariae locorum Ecclesiae jam inde a priscis temporibus opera et studio primorum cujusque sedis Antistitum erectae, juxta veterem Ecclesiae morem ab ipsis Apostolis eorumque discipulis traditum, Sancto cuidam dicatae fuerunt, postmodum contigit, ut ii ipsi Antistites, qui eas rexerunt, e vivis excessi in iisdem Ecclesiis quiescentes Sanctitatis fama et miraculorum gloria

flouerint et ita factum est ut populi, eorum ope implorata, subsidium in suis vel spiritualibus vel temporalibus necessitatibus experti frequentissimo concursu eos sint venerati eosque per hoc ipsum in Patronos etiam agnoverint talesque communi omnium consensu revera evaserint. Quandoque etiam factum est ut ipsae Ecclesiae oblitterato apud ignarum saltem vulgum priori titulo, communi deinceps nomine ab his sint appellatae. Plura adduci de hoc exempla possunt, quae qui desiderat adire auctores poterit, qui fuse de hac materia pertractant.

At quocumque modo sint Ecclesiarum Titulares vel ab ipsa Ecclesiarum dedicatione selecti et constituti vel successive, ut supra, adsciti, ac ut tales ab immemorabili tempore et universaliter populorum consensu et veneratione recepti, haud quidem licet, nisi accedat novae Ecclesiae dedicatio, Titularem mutare et alium illi subrogare: nam, ut supra notatum est, unaquaeque Ecclesia ab illius Sancti nomine, cui dedicata fuit, suam accipit appellationem et sicuti nova Ecclesiae dedicatio, stante integra priore consecratione, inanis omnino est, quia inaniter consecratur quod execratum non evasit, ita inanis Titularis mutatio esset, relictis vel unico vel pluribus quovis modo constitutis et alio illis subrogato: simul autem injuriosa nimis esset haec titularis mutatio cum nulla sit ratio alium prae illo inducere. Hinc est, quod si eveniat Ecclesiam aliquam dirutam iterum aedificari iterumque consecrari, non alio quam priori titulo dedicatur; aequum enim quam maxime est ut eodem nomine, quo alias, deinceps nuncupetur, quo ab ipsa prima sui erectione insignita fuit illudque in nova consecratione jure retineat. Hisce positis quisque per se videt non aliter S. R. C. huic dubio nisi negative respondere potu-

isse, haec enim responsio principiis, praxi et exemplis est maxime conformis, a quibus noluit declinare, nam vel in ipsa consecratione Ecclesia non unum sed duos vel plures habuit Titulares, vel etiam successive juxta modum expositum habuit, quocumque eos habuerit modo, is vel ii sunt vere et proprie Titulares et jure retinendi sunt ac proinde Episcopo non est facultas vel uno retento alium subrogandi vel ex duobus unum excludendi sive jure ordinario nequit prohibere ne Ecclesia duos habeat Titulares et duplici etiam appelletur titulo vel in solemnem illius consecratione usurpato, vel etiam successive addito, hoc enim esset limites auctoritatis praetergredi et injuriam Sancto in Titularem recepto inferre, quod nefas esset. Si autem quaestiones et jurgia excitantur, Episcopi est ea tollere, animos componere et Fideles de Ecclesiae legibus instruendo in officio retinere.

Vd.: *Titul. Eccl. (mutatio.)*

8) Oratorii.

Claramontensis.

Monialibus s. Bernardi Civitatis Claramontensis expetentibus facultatem celebrandi festum tituli earum oratorii, quo Ecclesiae loco, adhuc non perfectae, eadem utuntur, cum officio per octavam, S. Rituum Congregatio nendum posse concessit, sed ipsas ad hujusmodi celebritatem teneri declaravit. Die 15. Septembris 1657.

(Anal. J. P. 1863 pag. 342.)

Vd.: *Titul. Ecclesiae.*

Albanen.

Exposuit confraternitas SSmi Sacramenti in Civitate Albanensi erecta contradicente Capitulo Cathedralis a SSmo tandem obtinuisse, ut in ejus oratorio per ordinarium approbato missa celebrari valeat. Verum sibi nunc a Ca-

pitulo contraverti celebrationem plurium missarum nec non solemnem sacrificii die solemnitatis s. Titularis, sub cuius invocatione erectum est oratorium. Quamobrem supplicavit S. Congregationi, ut eadem declarare dignaretur et plurium missarum quotidianarum et solemnem in festo Titularis celebrationem in eodem oratorio licuisse et licere. Sacra Congregatio respondit: Negative, scilicet nil ex petitis licere nisi de licentia Capituli Cathedralis intra cujus parochiae limites situm est oratorium.

Die 15. Februarii 1659.

(Anal. J. P. 1863 pag. 355.)

Vd.: *Titul. capell. publ.*

9) Ordinis vel Congreg.

Vd.: *Calendar. Congregat. ss. Redemptor.* (decr. 4581 ad 2) *Titul.* (transl. decr. n. 1135; 1870.)

10) Titularis et Patronus.

(Differentia inter haec nomina.)

Licet Titulus et Patronus inter se differant, non semel tamen unus cum alio confunditur, ex quo fit ut ex rubricarum verborum vel nimis libera vel parum accurata interpretatione errores enascantur. A tuendo titulus suam ducit originem juxta Varronem et ad aliquid indicandum accipitur eo sensu, quo rem quamcumque cui inscribitur indicet quodammodo et tueatur.

Vox haec plura significat sive ad plura significanda usurpatur. Titulus ex. gr. in sacris scripturis monumentum quocumque significat ad perpetuam rei alicujus memoriam servandum erectum, quemadmodum *Genesis cap. 28.* dicitur de Jacob, qui ad perennem memoriam servandam, ubi celeberrimam habuit visionem mane surgens lapidem tulit, quem capiti suo composuerat et infuso desuper oleo illum in titulum erexit. In jure accipitur pro causa, qua quis sibi rem

aliquam vindicat et jura sua contra quemcumque illa impugnantem defendit, unde dicitur *titulus causae*. Item hoc sensu, nempe causae, accipitur in Evangelio *Joan. cap. 19.* titulus, quem Pilatus scriptum affigi jussit Christi Domini Cruci, quem titulum Matthaheus cap. 19. *causam* appellat, et Marcus utramque simul vocem usurpans, scribit: *erat titulus causae ejus inscriptus, causae nempe ob quam Jesus Christus supplicio damnatus fuit.* In ipso jure pariter pro tabulis quibusdam accipi solet vox *titulus*, quae praediis affigi consueverant, descripto in eis palam possessoris nomine, ut sic ab aliena invasione ea tuerentur, eo plane modo, quo nostra etiam aetate gentilitia insignia vel picta vel insculpta ponuntur ad proprias cujusque ditiones tuendas, qua super re scribit Augustinus *Exposit. 2. in Psalm. 21: Ne domus ipsius invadat aliquis Potens ponit ibi titulos mendaces: ipse vult esse possessor et frontem domus suae de titulo alieno muniri et cum titulus fuerit lectus, conterritus quis potentia nominis ab invasione.* Nonnulla alia hac voce comprehenduntur, quae omittenda censentur. Quoad liturgicum sensum, olim Ecclesiae tituli nomine appellari consueverant, ita ut titulus et Ecclesia pro eodem sumebantur: sic de s. Evaristo legitur Ecclesiarum titulos urbis Presbyteris divisisse, et de s. Marcello pariter, qui viginti quinque titulos divisit super sepulturas martyrum. Haec denominatio ex eo orta est, quod cum Christiani domum aliquam divino cultui consecrarent crucis vexillum in ea ponebant; unde a titulo crucis dominicae titulus nuncupatur atque hinc Theodosius Imperator praecepit, ut gentilitia delubra in christiana religionis cultum immutarentur *collocato in eis*, inquit, *venerandae christianae religionis signo.*

Ecclesiae item tituli dicti sunt a

nomine illius Sancti, in cuius honorem erigebantur, ut essent tamquam sanctitatis illius monumenta. Saepe etiam Ecclesiae tituli dictae fuerunt, desumpta denominatione a titulo seu fundo illis attributo, quemadmodum quoque a titulo non semel et nomine fundatoris appellatae sunt; unde veteres christiani domos suas in Ecclesiam consecrantes eas postmodum a suo nomine nuncupabant. Ut reliqua omittantur hujus rei exempla unum adducitur omnibus notissimum, quod duas semel comprehendit super expositas rationes hujus appellationis et Fundatoris et Sancti, cui Ecclesia dicata est, illud nempe quod in recitatione divini Officii legitur in Breviario die prima Augusti in lectione quinta: *tantus honor sacris illis vinculis haberi coepit, ut propterea hoc nomine s. Petri ad vincula Ecclesiae titulo Eudoxiae dedicata sit in Exquilis*. His, ut alia omittantur, quae in medium proferri possent, de titulo adnotatis, prout dicitur de Ecclesia, advertendum est hanc vocem tripliciter accipi posse. Vel enim late sumitur et tunc facile est titulum cum Patrono confundere, vel stricte et tunc de eo tantum Sancto seu mysterio dicitur, a quo nomen ei imponitur vel demum nec adeo stricte nec adeo late accipitur, ut accipi eo sensu debeat, qui hic expositus est, sed popriissime tamen quantum ad rubricas earumque intelligentiam attinet et dicitur de mysterio seu re quacunque sacra, a qua nuncupationem aliqua Ecclesia desumit.

In hoc autem maxime differt Titulus a Patrono, quod hic cum illo confundi queat et dici titulus idem qui est Patronus, at non item ille; ex titulo enim nequit inferri, eundem esse etiam et Patronum juxta doctrinam tum Guieti tum Gavanti.

Differt revera Patronus a titulo. Vox haec Patronus (quidquid sit de illius etymologia) a profano seu civili sensu

ad res ecclesiasticas translato dupliciter accipitur: primo iis optatur, qui ob datam seu aedificatam Ecclesiam propriis sumptibus jus sibi Patronatus reservant, de quo agitur titulus 37. lib. 3. Decretalium, et idcirco qui hoc jure potiuntur Patroni appellantur: secundo hoc nomen convenit Sanctis, qui in coelo regnant suisque nos apud Deum precibus juvant juxta germanam catholicae Ecclesiae fidem, innumeris sanctorum Patrum testimoniis confirmatam, qui lib. *orthodoxae fidei* ita scribit: *Quid non laboris suscipias ut Patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali regi offerat ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur ii honorandi sunt, qui totius humani generis patronos se profitentur ac Deo nostri causa supplicent?* Quemadmodum differt Patronus a Patrono quoad vocis vim et significationem nuper allatam, ita inter se differunt Patronus Ecclesiae et Patronus loci: siquidem praeter singularem Ecclesiae Patronum seu titulum (quem cum Patrono aliquoties, ut dictum est confunditur) datur etiam loci alicujus Patronus communis et generalis.

In hoc autem differunt loci et Ecclesiae Patroni quod hic circumscribitur quodammodo et ad unam tantum Ecclesiam proprie pertinet, ille magis extenditur, ad plures enim Ecclesias attinet; locus enim accipitur pro multitudine cleri et populi, seu potius, juxta Guieti et Gavanti opinionem, pro multis cleris et populis in uno eodemque loco constitutis. Aliis etiam rationibus loci Patronus a Patrono Ecclesiae differt, quas hic offerre, utpote a proposito alienas, supervacaneum putatur. Diversi dantur locorum Patroni, sive datur Patronus Regni, Provinciae, Dioecesis, civitatis. Datur etiam Patronus oppidi. Jam loci alicujus Patronus Sanctus vere et proprie ille talis est, qui sive perpetuo

usu ac majorum traditione sive legitima electione, ac legibus in hac electione servatis, uti peculiaris apud Deum intercessor propriusque suffragator ab universo loci illius clero et populo colitur et observatur: quae Patroni definitio ab omnibus communiter admittitur liturgicis auctoribus, aliquid si excipiatur, quod illius substantiae non officit. *Nota ad decr. n. 4738. die 23. Maii 1835.*

Cf.: *Titularis eccl.* (quis ex duob., decr. n. 4799 nota).

11) Translatio.

Vd.: *Patronus*; *Officium* (recitand. quod ex 2); *Epiphania* (octava); *Dedicat. Eccl.* (Off. etc. sub n. 3474.) *Assumptio B. M. V.* ut *Titular.*; *Missae duae*; *Annuntiatio B. V. M.* (Off. etc. decr. n. 4528 de transl.); *Oratorium* (missae decr. n. 4878); *Suffragia*.

Festum translatum de Titulari (de B. V. M.), ut de digniori prius est agendum quam festum transl. Patroni (s. Isidori). n. 989 die 27. Aug. 1633.

S. C. Monialibus concessit, ut festum s. Gaudiosi ep. Bitiniae, earum fundatoris, una cum festo s. Gaudiosi Ecclesiae Titularis, possit celebrari 28. Oct. non obstante, quod dicto die cadat festum ss. Apostolorum Simonis et Judae, quod erit transferendum juxta rubricas. n. 1135 die 26. Mart. 1639.

Occurrente vel concurrente dedicatione Ecclesiae Cathedr. cum Titulari alterius Ecclesiae civitatis praefereendam esse dedicationem Ecclesiae Cathedr.; quoad vero octavas servandas esse rubricas. n. 1469 ad 3. die 8. Aug. 1643.

Festum dedicationis tamquam dignius celebrandum esse eo die, quo cadit, celebritatem vero Titularis in sequentem transferendam esse. n. 1842 die 15. Sept. 1657.

Vd.: *Titularis eccl.* (festum celebr.; decr. n. 3795.)

Monialibus petentibus facultatem celebrandi solemnitate s. Jacobi ap. earum Patroni principalis die 1. Maii transferendo in sequentem diem solemnitate s. Titularis earum Ecclesiae, quae occurrit cum festo s. Jacobi, S. C. resp.: Festum s. Titularis esse omnino celebrandum die quo cadit, necnon solemnitate s. Jacobi tantum sub ritu duplici 2. cl. peragenda, ex quo non detur Patronus Ordini neque Monasterio. n. 1870. die 16. Mart. 1658.

Occurrens cum festo ss. cordis Jesu vd.: *Festum ss. Cordis Jesu* (transl. decr. n. 4579 ad 2.). *Occurrens cum octava privil. Corp. Chr.*, vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 5180). *Occurrens cum dedicat. Eccles.* vd.: *Dedicatio Eccles.* (transl. decr. n. 972).

12) Translatio solemnitate in dominicam sequent.

Vd.: *Patronus* (translatio Solemnit.)

Cum in decreto s. Sedis ap. 1810 lato statutum fuerit, ut festa Titularium ad dominicas infra octavas transferantur, quumque in eodem decreto excepta fuerint festa Ecclesiarum Guebecen. Montis Realis et alterius ex parochiis suburbanis, quaeritur: an in decreto ipso gener. comprehendantur festa Titularium Ecclesiarum paroch. institutarum post annum praedictum 1810?

S. C. resp.: Affirmative. n. 4751 ad 3 die 23. Maii 1835.

13) Translatio cum octava.

Ad dubium: An decretum die 16. Septembris 1721 in Panormitana ad 1 statuens quod festa ab assignata

eorum die perpetuo amota esse celebranda sine octava vel cum residuo, illius applicari debeat Festo Titularis alicujus Ecclesiae quod ob perpetuum impedimentum ab Ordinario vi decreti 22. Aprilis 1741 in Wilnensi ad VII. in diem fixum repositum fuit? Vel Titularis sic fixe translatum habeat privilegium servandi suam Octavam, uti rubrica adnotat tit. X. n. 1 his verbis: Nisi titularis Ecclesiae privilegio aliter fieri oporteat?

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal J. P. 1837 p. 2191.)

14) Vesperae.

Cf.: *Vesperae*.

Abbatissa Monasterii s. Georgii ordinis s. Benedicti civitatis Patavinae pro declaratione dubii circa modum celebrandi secundas vespereas in festo s. Gregorii titularis ipsarum Ecclesiae etiam parochialis occurrentes cum primis vespereis dedicationis Ecclesiae Cathedralis S. R. C. humillime supplicante S. eadem C.: „Secundas vespereas de s. Georgio ex integro celebrandas esse cum commemoratione dedicationis Ecclesiae Cathedralis“ declaravit. N. 3949. Die 9. Augusti 1721.

TITULARIS EPISCOPUS.

1) Administrator.

Vd.: *Titul. Ep. Can.* (Pontificalia etc.); *Episcop. Titul.*

Quum sacerdotes Hieronymus Pavi praepositus in Cathedrali Liburnensi Ecclesia modo ad dignitatem episcopalem assumptus ac renunciatus episcopus Milten. in partibus administrationem obtineat dioecesis Liburnen. pro ea qua praestat religionem, veretur ne quid sibi assumat ex privilegiis et

honorificentis episcopalibus sibi seu administratori non debitis, nam praepositi dignitatem adhuc retinet, neque aliquid praetermittat episcopali characteri competens ac proinde Sacrorum Rituum Congregationis sententiam super sequentibus dubiis humillime requisivit, nimirum:

1. An Epistolam pastorem sive latine sive vulgari sermone conceptam commisso sibi in administrationem regi dirigere possit?

2. An uti possit Mozzetta vel potius supra Rochettum Mantelletum tantum gestare debeat?

3. An in pontificalibus uti unice debeat faldistorio?

4. An, dum choro assistit uti praepositus prima capituli dignitas, retinere debeat primum stallum?

5. An processionibus, ut suae praebendae competentes fructus percipiat, necesse sit ut cum suo capitulo incedat omnino occupans digniorem locum?

6. An in iisdem processionibus possit interdum incedere post sacerdotem deferentem sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quin tamen de propriae praebendae fructibus participet?

7. An unquam Missae solemniter assistere possit pluviali vel cappa indutus absque tamen circulo canonicorum vel potius requiratur ut cum mantelleto assistat ad lucrandos suae praebendae fructus? Item an in pontificalibus celebrans possit habere diaconos assistentes?

8. An episcopo administratori liceat perficere benedictiones candelarum, cinerum, palmarum ac fontis baptismalis in Sabbato sancto, quin Missam deinde celebret?

9. An habeat usum galeri cum cordulis et floccis viridis coloris ac huiusmodi colore possint ornari equi currus?

10. An caudatarii opera uti possit

saltem dum in sacris functionibus peragendis solutam habere debet longioris talaris vestis fimbriam?

Et sacra eadem Congregatio ad Quirinale hodierna die coadunata in ordinariis comitiis exquisito prius voto alterius ex apostolicarum caeremoniarum magistro, omnibus maturo examine perpensis, ac referente subscripto secretario, respondendum censuit

Ad 1. Negative.

Ad 2. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Affirmative.

Ad 7. Quoad primam partem negative; quoad secundam affirmative, quoad tertiam negative.

Ad 8. Negative nam id unice competit episcopis ordinariis et quum orator praebendam retineat necesse est ut praxi communi se conformet, nimirum ut enunciatae benedictiones perficiantur a celebrante.

Ad 9. Negative ad primam partem et quoad secundam recurrat ad Sacram Caeremonialis Congregationem.

Ad 10. Affirmative in casu.

Atque ita rescribere rata est ac ex alias etiam decretis declarare. Die 23. Septembr. 1848.

(Corresp. de Rome 1850 Ed. II. p. 37.)

2) Auxiliaris.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Pontificalia etc. decr. *Mediol.*)

3) Canonicus.

a) Electio in Episcopum alterius vel ejusd. Dioecesis, cujus est Canonicus.

Vd.: *Titul. Episcop. Can.* (Habitus; electio; Pontificalia etc.)

Ad dub.: *An Canonicus, qui simul sit Episcopus Titularis, possit a Ca-*

pitulo suae Ecclesiae Cathedralis eligi in Episcopum absque Brevis eligibilitatis?

Notum jam est quod Episcopus unius Ecclesiae non possit in Episcopum alterius Ecclesiae eligi, sed postulari debeat, *cap. ultim. do postulat. Praelator.*; idque ex matrimonio spirituali quod Episcopum inter ac Ecclesiam intercedit.

Videtur autem posse eligi sine eligibilitatis Brevis eo quod regula de spirituali matrimonio cessat quantum ad Episcopum Titularem, quippe qui vere et proprie Ecclesiam haud habet. At contrarium et quidem jure meritoque resolvit *Christianus Thomasius* in Respons. Jur. impress. post Programmata §. 5. et plur. sequent. ea ductus ratione quod et Episcopum Titularem inter et Ecclesiam est spirituale matrimonium, adeoque carens ipse Brevis eligibilitatis nequeat ex matrimonio hoc spirituali eligi in Episcopum alterius Ecclesiae.

b) Habit., praeced. etc.

Colonien.

Eme et Rme Dne Dne Obsme. In ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis a. R. D. subscripto prosecretario quum inter caetera relatae fuerint etiam preces Rmi Joannis Antonii Frederici Baudii episcopi Arethusini in partibus infidelium archidioecesis illius Colomensis suffraganei, ac metropolitanae Ecclesiae canonici, quibus exquirebat solutionem sequentium dubiorum nimirum:

1. An episcopus titularis suffraganeus canonicatum vel dignitatem in capitulo retinens possit retinere habitum canonicalem, vel an debeat uti habitu episcopali ordinario inter officia publica ab alio seu episcopo seu sacerdote celebrata in Ecclesia